Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31713
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

culpa animi uirtute pariat. quia si se fortiter custodire noluit ne ad motum surgeret. se tamen in emotione fortiter uicit. Unde bene psalmo ait: Melior est patiens uiro forti. et qui dominatur animo suo expugnatore urbium. Recte autem expugnatori urbium patiens preferit. quia in illa actione victoriae homo victor hominum. in hac autem mansuetudine patientiae animi victor est suui. Sequitur: et pauimentum in fronte portarum secundum longitudinem portae erat inferius. Si porta longitudinem ad locum referimus. in qua porta fuerant extructae: secundum longitudinem portarum pauimentum erat inferius. quia quantum tenere locus portae poterat tantum tendebat et pauimentum quod erat inferius. Longitudo quidem pauimenti a portis non erat dissimilis. etiam equalitas pauimenti non erat cum portis. Ad id quod pauimentum cum portis longum similiter erat. sed equale non erat. nisi quod uita ipsorum longe distat a uita doctorum. Qui ergo si ad celestia regna tendentes. eandem longanimitatem spem habent. eadem innuendi studia non habent. Tendant quidem pauimentum similiter in longum. quia ipsam fidem. ipsam spem in se retinent auditores. quam habere certum est predicatores. sed pauimentum inferius iacere. ut omnes predicatores suos longe suis meritis excellere cognoscant. Sin autem longitudinem portae sicut supra diximus eae altitudinem intelligere debemus. sicut paulo post scriptum est. ad portam gradibus ascendebant. tanto pauimentum iacet inferius quanto unaquaque porta surgit in altitudine. quia quanto sanctior est uita doctoris. tanto humilior fit sensus auditoris. et semetipsum despicit. dum predicatoris sui uitam in magna altitudine surgere prendit. Imitari autem bona sua alia fortasse potest. alia non potest. Inde pualet. pulchre. inde minime pualet adhuc